



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XVIII. An cum facultate alienandi res Ecclesiasticas à Sede Apostolica obtenta possit à Regularibus in monasterio, vel Conunentu, vel horto inseruiente monasterio ex pecunia ipsis relictæ pro Missa ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

- 8 tio census, uti dicebam *supra* dubit. 8. Quod & militat apud nos Clericos Regulares Theatinos: quia licet, stante nostro Instituto de non possidendo bona immobilia, non comprehendamur sub prædicta prohibitione de non alienando bona immobilia, sicuti declaravit Congregatio Concilij anno 1625. hoc tamen non se extendit ad ipsum Monasterium, vel Conuentum, neque ad hortum annexum, qui sit pars Conuentus, vel ad hortum recreationis causa detentum, quia in tantum non comprehenditur sub dicta prohibitione, in quantum bona immobilia retinere prohibemur nostro Instituto, & ideo possumus sine facultate alienandi à Sede Apostolica obtenta alienare illa pro seruando dicto Instituto: consequenter extenditur solum ad illa immobilia, quæ non retinere repugnat nostro Instituto, quia in his solum militat ratio legis, quæ cessante in aliis bonis immobilibus, cessat in iis dispositio legis, l. in omni, ff. de adoption. l. quod dictum, ff. de pactis, & l. adigere, §. quamvis, ff. de inepatron. At non repugnat nostro Instituto habere Conuentus proprios, & hortum annexum, vel hortum recreationis causa detentum, quin id est conforme dicto nostro Instituto, quapropter est diuersa ratio de his, & de aliis bonis immobilibus, & consequenter induci debet in his diuersa iuris dispositio ac in illis, l. inter stipulantem, §. sacram, de verbor. obligat. l. fin. ff. de ritu nuptiar. & l. si ita, ff. de manumiss. test. Vide etiam quæ dicuntur *infra* dubit. 22. n. 10. & seqq.

DUBITATIO XVIII.

An cum facultate alienandi res Ecclesiasticas à Sede Apostolica obtenta, possit à Regularibus in Monasterio, vel Conuentu, vel horto inseruiente Monasterio, ex pecunia ipsis relicta pro Missa perpetua dicenda, fundari census?

S V M M A R I V M.

- 1 Pecunia, & bona immobilia, quæ ab Ecclesiis acquiruntur cum onere perpetuarum Missarum, conuerti debent in bona immobilia frugifera cum expressa oneris mentione.
- 2 Pecunia ita relicta non potest impendi in emendo conuentui vel horto conuentui annexo, contra sententiam nonnullorum affirmantium, monasterium, & conuentum annumerari inter bona immobilia.
- 3 Violat per fraudem legem, qui in cortice seruat verba legis, si faciat contra mentem, & intentionem legis.
- 4 Fraudem facit, qui saluis verbis legis, mentem eius circumuenit.
- 5 Mens Urbani VIII. in Decreto de celebratione Missarum citato fuit, quod applicarentur pecunie in bonis immobilibus frugiferis, ut annuatim perciperentur fructus, & in eum finem, ut onus annuum Missarum singulis annis congruo emolumento compensaretur, ne secluso tali emolumento, cum tepiditate oneri Missarum satisfaceret.
- 6 Census si fundaretur super conuentu, vel horto annexo Conuentui, emolumentum pro celebratione Missarum non corresponderet oneri.
- 7 Relicta cum perpetuo onere Missarum inuestiri debent in re actualiter frugifera, & immobili.
- 8 Verba antecedentia declarant subsequencia.
- 9 Bona immobilia non possunt dici fructifera, nisi sint destinata ad fructificandum, & nisi soleant fructus asserre.

- 10 Vana est illa potentia, quæ non reducit ad actum.
- 11 Paria sunt non esse, & inutiliter esse.
- 12 Paria sunt non fructificare, & non esse fructifera.
- 13 Conuentus, vel monasteria Regularium non sunt destinata ad fructificandum mediante locatione, sed inseruiunt ipsis pro habitatione, & ideo non dicuntur solita fructificare.
- 14 Bona immobilia non dicuntur solita fructificare, nisi pluries fructum asserant.
- 15 Capuccini, & fratres Minores, licet non possint iuxta ipsorum regulas possidere bona stabilia fructifera, possunt tamen possidere Conuentus & hortos pro ipsorum usu.
- 16 In casu, quo bona immobilia, quæ Missarum onus perpetuum annexum habent, auctoritate Apostolica alienantur, eorum pretium sub pœna interdicti ipso facto incurrenda in alia bona stabilia fructifera, cum eiusdem oneris annexione conuerti debet.

Ratio dubitandi est, quia Sacra Concilij Congregatio in decretis de celebratione Missarum editis iussu Urbani VII. sub die 21. Iunii 1625. statuit, quod pecunia, & bona mobilia, quæ ab Ecclesiis acquiruntur, cum onere perpetuarum Missarum, conuerti debeant in bona immobilia fructifera, cum expressa mentione oneris, in his verbis: Præterea ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis tepidiores, ac segniores reddantur, quo onera huiusmodi cum nulla, vel parua sint utilitate coniuncta, statuit, atque decernit, ut pecunia, ac bona immobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conuentibus, ac locis omnibus, tam secularibus, quam Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesia ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis statim deponi debeant penes eadem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum acquiritur. Et si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, ut supra deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis, cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat. Quo decreto stante dubitatur, an conuersio dictæ pecuniæ, vel pretij fieri possit in Conuentum vel hortum inseruientem Conuentui; ea substituendo oneri Missarum, & super ipsis fundando censum.

Respondetur, quod quamvis quidam assint eo, quod Monasterium, vel Conuentus annumeretur inter bona immobilia fructifera, quia cum inseruiat habitationi, est aptus fructificare: quapropter si Religiosi non haberent Conuentum, cogerentur conducere domos ad habitandum cum annuo dispendio; consequenter quod singulis annis soluerent pro domibus ad habitandum conductis, computari potest pro emolumento oneris assumpti celebrandi Missas; tamen negandum sit, quia violat per fraudem legem, qui in cortice seruat quoad verba legem, sed facit contra mentem, & intentionem legis, l. non dubium, Cod. de legib. & l. contra, ff. eod. tit. ibi: Fraudem facit, qui saluis verbis legis, mentem eius circumuenit. Et ita esset in casu nostro, quia mens dicti decreti fuit, quod applicarentur pecuniæ in bonis immobilibus fructiferis, ut annuatim perciperentur fructus, & in eum finem, ut onus annuum Missarum singulis annis congruo

congruo emolumento compensaretur, ne secluso tali emolumento, cum tepiditate oneri Missarum satisficeret, ut constat ex illis verbis: *Ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, et par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nulla, vel parva sint utilitate coniuncta, statuit, atque decrevit, &c.* Ex quibus verbis clarè constat, quod intendit decretum, ut effectuum emolumentum correspondeat quotannis oneri Missarum soluendo: at nullum corresponderet, si census fundaretur super Conuentu, vel horro inserviente Conuentui: ergo, &c.

7 Accedit, quod neque in cortice quoad verba servaretur sic lex in casu nostro, quia dictum decretum præcipit, quod pecuniæ inuestiantur super bonis immobilibus fructiferis, ex quibus quotannis percipiantur fructus debiti, & sic quod inuestiantur super bonis fructiferis actualiter, siquidem cum verba antecedentia declarant subsequentia, l. *num. ff. de petit. heredit. l. qui filiabus, in i. & l. si feruum, §. fin. de legat. 1.* & notant Castrenf. conf. 343. n. 2. lib. 2. Surd. decis. 288. num. 30. & 31. Cephal. conf. 159. num. 10. & con. l. 351. num. 38. & Paris. conf. 159. num. 10. lib. 1. ex verbis antecedentibus colligitur, quod intelligit Decretum de bonis immobilibus, ex quibus actualiter recipiantur fructus debiti; nam antecedenter in decreto dicitur: *Præcipere ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, et par est, implendis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nulla, vel parva sint utilitate coniuncta, statuit, atque decrevit, ut pecuniæ, &c. ad effectum illorum pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis, &c.* Intelligit ergo decretum de bonis immobilibus fructiferis, quæ continuò faciant actu correspondere congruum emolumentum oneri Missarum soluendo.

9 Accedit etiam, quod bona immobilia non possunt dici fructifera, nisi sint destinata ad fructificandum, & nisi soleant fructus afferre, quia cum vana sit potentia, quæ non reducitur ad actum, l. *h. enim, §. si Prætor, ff. de susp. lit. iur. l. multum interest, Cod. si quis alteri, vel bi, & cap. pastoralis, §. quoniam, de rescriptis, sequitur, quod dum bona non reducuntur ad fructificandum, habeantur pro non fructiferis, siquidem esse sine effectu, & non esse, paria sunt, uti notant Surdus decis. 51. num. 21. & 22. consil. 3. num. 8. & consil. 179. num. 49. & Maceratenf. var. resol. lib. 1. resol. 61. num. 24. Quapropter paria sunt etiam, non fructificare quoad effectum, & non esse fructifera.*

13 Cum ergo Conuentus, vel Monasteria Regularium non sint destinata ad fructificandum mediante locatione, sed inserviant ipsis pro habitatione, non possunt dici solita fructificare, præsertim quia non possint bona immobilia dici solita fructificare, nisi pluries fructum afferant, argum. ex §. Pavonum, Inst. de rer. divis. & d. l. 1. §. igitur, ff. de verbor. signific. & l. solet, ff. de feriis. Vnde licet Capuccini & Fratres Minores non possint iuxta ipsorum regulas possidere bona stabilia fructifera, seu proventus annuos, possunt tamen possidere Conuentus, & hortos pro ipsorum usu, sicuti de utroque declaravit Pontifex in Clement. Exiui, §. licet erò, de verbor. significat.

16 Caterum adverte hic, quod casu, quo bona immobilia, quæ Missarum onus perpetuum annexum habent, autoritate Apostolica alienentur, totum pretium sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, in alia bona immobilia fructifera cum eisdem oneris repetitione, atque annexione connecti debet: facta Congregatio in decretis de celebrat. Missarum, & DD. quos citat, & sequitur Ganantus in Man. Episc. verb. Alienatio, num. 36. & Lexana verb. Missa.

DUBITATIO XIX.

An servandæ sint iuris solemnitates in Ecclesiæ rei immobilis, vel mobilis pretiosæ concessione per precarium, vel ad beneplacitum?

SUMMARY.

- 1 In concessione per precarium, vel ad beneplacitum Ecclesiæ rei immobilis, vel mobilis pretiosæ, servandæ sunt iuris solemnitates.
- 2 Per huiusmodi concessionem iura transferuntur in rem in alterum, & sic est vera alienatio.
- 3 Limita nisi concederetur solus usus, seu sola commoditas ad breve tempus.
- 4 Lampades, Calices, & similia mobilia pretiosæ Ecclesiæ, commodari possunt sine incurfione censurarum.

Respondetur affirmatiuè, quia per huiusmodi concessionem verè transferuntur ius in rem in alterum, & sic est vera alienatio. Sic communiter Doctores, quos citat, & sequitur Riccius de i. 68. & 74. Excipe, nisi dictæ rei concedatur solus usus, seu sola commoditas ad breve tempus, ita ut nullum transferatur dominium, neque vtile, neque directum, quia tunc non est alienatio, neque ob id Ecclesiæ graue patitur damnum. Et confirmatur, quia alioquin non possent sine incurfione censuræ, & aliarum penarum Extravag. Ambitiosæ, commodari lampades, calices, & similia mobilia pretiosæ Ecclesiæ, quod dicere est absurdum, & contra usum, & praxim etiam piæ vitæ virorum. Sic iidem Doctores apud Riccium loco supra citato.

DUBITATIO XX.

An alienatio rei Ecclesiasticæ facta sine iusta causa, valida sit in foro externo, vel conscientie?

SUMMARY.

- 1 Alienatio rei Ecclesiasticæ facta sine iusta causa invalida est, tam in foro externo, quam conscientie, contra nonnullos sentientes in dicto casu validam esse alienationem, sed Ecclesiæ competere restitutionem in integrum.
- 2 Beneficium restitutionis in integrum, est remedium extraordinarium, quod non datur ei, cui competit remedium ordinarium.
- 3 Ecclesiæ potest duplici capite petere restitutionem rei alienatæ, primo si sine legitima, & iusta causa. Secundo si cum enormi læsione alienaverit, etiam servatis iuris solemnitatibus.
- 4 Præsumptio causæ non infert causam, & sic non infert in alienatione valorem.
- 5 Contrahentes præsumuntur habuisse iustam causam contrahendi.
- 6 Creditores Ecclesiæ, quibus est satisfactum cum retractione honorum immobilium, vel mobilium alienatorum, obligati sunt probare creditum ipsorum verum fuisse in Ecclesiæ utilitatem.

Respondetur invalidam esse tam in foro externo, quam conscientie. Sic patet ex dictis dubiis. 1. num. 3. & seqq. & probatur cap. sine exceptione 112. q. 2. ubi